




958.


EPISTOLA

PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

DIOECESIS LAQUEDONIENSIS



ROMAE
APUD JOSEPHUM GISMONDI
1845



ALOYSIUS NAPOLITANO

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS LAQUEDONIENSIS

VENERABILIBUS FRATRIBUS DILECTISQUE FILIIS

CAPITULO, CLERO, ET POPULO CIVITATIS AC DIOECESIS SUAE

Gratiam et Pacem Eius, qui est, et qui erat, et qui venturus est.



Cum ego mihi et pusillo gregi Loci nativitatis meae Brusciani, vertente iam anno sextodecimo, Primicerius Curatus attenderem, prout in tenuitate mea et velle et perficere operabatur clementissimus Deus (1); cumque per nonnullas corporis mei molestias, quas aliquot abhinc mensibus patiebar, mihi viderer admoneri, Dominum iam pulsare procurationis meae rationem postulaturum, en nuncius inopinus inopinae Dignitatis ad me pervenit. Certior enim sum factus, me apud Beatissimum Patrem Gregorium XVI. ab Augustissimo Rege Nostro Ferdinando II. Episcopum Laquedoniensem iam esse nominatum. Qui et quales tunc fuerint animi mei sensus, Fratres, Filiique Dilectissimi, haud facile mihi est explicare. Recordatus sum, Episcopum hominem plane divinum esse debere, hominem tanta fide pollentem, ut, si opus fuerit, dicere queat monti: transi hinc illuc, et transibit (2); tanta spe, ut in se ipso experiatur quid valeat illud: in Te, Domine, speravi, non confundar in aeternum (3); tanta charitate, ut gaudere possit cum gaudentibus, flere cum flentibus (4), et quandoque optare cum Paulo anathema esse a Christo pro fratribus suis (5); nihilque respirare, nisi amorem Dei et proximi; omnibus omnia fieri, ut omnes salvi fiant (6); odisse vitium,

(1) Philip. II. 13.
(2) Mat. XVII. 19.
(3) Psal. XXX. 1.
(4) Rom. XII. 15.
(5) Rom. IX 3.
(6) 1. Cor. IX. 22.

et diligere vitiosos; irasci, et non peccare; esse irreprehensibilem, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem (1). Haec recordatus sum, et oculis manibusque in coelum sublatis, non potui, quin exclamarem: Tu scis, Domine, improperium meum et confusionem meam (2): cur ergo suscitas de terra inopem, et de stercore erigis pauperem, ut colloces eum cum principibus populi tui (3)? Cum fletu itaque et lacrymis Divina Clementia exorata, ut quodnam esset Eius in me beneplacitum ostenderet, consilium a viris sapientibus ac timoratis exquisivi, quibus statum valetudinis meae, et praesertim conscientiae meae cognitum esse volui. At horum omnium una haec responsio fuit: mihi parendum voci Dei, qui si iubet quod vult, dat etiam quod iubet; imo eo fidentius Episcopale onus mihi assumendum, quo me prae ceteris agnoscerem infirmiorem. Qui namque Deus, instabant, dixit de tenebris lumen splendescere (4), Ipse ignobiliora identidem, et contemptibiliora instrumenta ad maiora quaeque eligere delectatur, ut non glorietur omnis caro in conspectu Eius (5). Haec dum animo non omnino pacato mecum ipse perpenderem, rem totam confecit illa Nazianzeni sententia (6), periculosius esse contra obedientiae legem impositum onus refugere, quam ex imprudentia acceptare; quia timori suscipiendae praepositurae lex obedientiae opem fortasse ferat; at inobedientiae periculo haud scio quisnam opitulari, vel quaenam ratio ad fiduciam hortari possit. Hinc cervicem inflectens, Regi munificentissimo debitas grates rependi, et cum cognoverim nominationem meam a Sanctissimo Christi in terris Vicario benigniter adprobatam: ecce, dixi Domino, ecce ego, mitte me (7): Tu, qui fidelis es, et non pateris nos tentari supra id, quod possumus (8), dabis virtutem, si dignitatem contulisti (9), meque idoneum testamenti tui ministrum (10) efficies, et ego gaudebo in te Jesu meo (11), si vires meas, salutem, et ipsam vitam pro bono insumam Ecclesiae sanguine tuo acquisitae, cuius partem tenuitati meae concredere dignatus es. Hisce dictis, Romam petii, et ad Episcopalem meam consecrationem libenti animo accessi.

Haec vero, Fratres, Filiique dilectissimi, in antecessum exposui,

(1) I. Tim. III. 2.
(2) Psal. LXVIII. 20.
(3) Psal. CXII. 7. et 8.
(4) II. Cor. IV. 6.
(5) I. Cor. I. 29.
(6) Orat. 1.
(7) Isai. VI. 8.
(8) I. Cor. X. 13.
(9) S. Leo M. Ser. I. in anniv. assump. suae.
(10) II. Cor. III. 6.
(11) Hab. III. 18.

non ut veluti quoddam virtutis meae indicium vobis exhiberem, sed potius ut omnes Patrem luminum adprecantes, et mihi imploretis vos pascere in doctrina sana, in integritate, in gravitate (1), et vobis ipsis esse docibiles Dei (2), Pastoris vestri dicto audientes, et eius praeceptis obedientes.

Et hic ad maiorem Dei gloriam fateor multa de vobis pergrata ad aures meas iam pervenisse. Equidem novi qua prudentia, qua doctrina, qua vigilantia ac sollicitudine, vos Fratres, pro sua quisque dignitate, officiis vestris defungamini: novi Vos habitu, incessu, sermone nonnisi modestum et grave intuentibus ingerere: novi vestram conversationem coram Deo et hominibus bonam; nil mali de vobis novi, nihilque pariter de vobis, Filii, quorum in Deum religio, in Pontificem O. M. submissio, in Augustum ac Pientissimum Regem nostrum adhaesio mihi quoque perspecta sunt. Haec omnia novi, et cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum (3). Attamen, ut aemulemini charismata meliora (4), ac eatis de virtute in virtutem (5), percipite verba Patris vestri amantissimi, qui, etsi plura vobis scribere cuperet, haec pauca nunc satis habet, sperans brevi apud vos futurum, et os ad os loqui, ut gaudium vestrum plenum sit (6).

Primum itaque cor meum dilatatur ad Vos (7), Cathedralis Ecclesiae Dignitates, et Canonici, gaudium meum et corona mea (8). Vos scitis lucernas vos esse super candelabrum positas, ut luceatis omnibus, qui in domo sunt (9); hinc ad altissimum gradum evecti, ad virtutis quoque fastigium contendatis, oportet: res enim monstruosa foret, ut inquit Divus Bernardus (10), gradus summus, et animus infimus; sedes prima, et vita ima. Scitis officium psallendi divinas laudes in choro officium esse Angelorum; ideoque illorum muneris consortes, illorum pariter erga Deum obsequium ac reverentiam imitemini. Senatum Episcopi vos constituere etiam scitis; vestrum ergo sit mihi consulere, mihi prospicere, auxiliaresque mihi praebere manus, ut oves curae nostrae concreditae saluberrimis pascuis enutriantur.

Vos quoque Canonici Conlegiati reminiscamini, quaeso, quinam sitis, quaenam subsellia teneatis, et exemplum estote fide-

(1) Tit. II. 7.
(2) Joan. VI. 45.
(3) Psal. LXXXIII. 3.
(4) I. Cor. XII. 31.
(5) Psal. LXXXIII 8.
(6) II. Joan. 12.
(7) 2. Cor. VI. 11.
(8) Philip. IV. 1.
(9) Matth. IV. 1.
(10) Lib. 2. de consid. Cap. VII.

lium (1) semper ac ubique, praesertim in templo Domini, dum divinis officiis praesentes, vel sancta mysteria pertractantes, nihil aliud agere, aut cogitare velitis, quam quod agit, aut cogitat illo potissimum tempore triumphans ac militans simul Ecclesia.

At quid vobis dicam, Parochi, cooperatores mei in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi (2)? Officium vestrum laboris aleaeque plenum esse experientia mihi constat. Sed facienti quod in se est Deus non denegat gratiam. Quapropter vineam patrisfamilias excolere non intermittite, pondus dici et aestus alacriter portantes (3), fidei rudimenta pueros edocete, provectioribus necessitatem meditandi legem Domini patefacite, peccatores excutite declaratione terribilium iudiciorum Dei, iuvate pusillanimes promissionibus coelestibus, fovete debiles, arguite, obsecrate, increpate in omni patientia et doctrina (4). Nolite animis deficere: opus suum Deus ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.

Vobis vero Divini Verbi Praecones, ac Sacramenti Poenitentiae Ministri stet alta mente repositum vitam vestram speculum aliorum esse debere, et speculum sine macula in omnibus, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate (5). Ecquis enim valet alteri dicere: sine eiiciam festucam de oculo tuo, et ecce trabs est in oculo ipsius? (6). Ecquis audet alienis morbis mederi, si morbis affectus seipsum non curat? Quae igitur ore profertis, moribus vestris exprimere adnitamini ad exemplum Servatoris nostri, qui coepit facere et docere (7). Hoc sane pacto ministerium vestrum honorificabitis, et postquam ad doctrinam multos erudiveritis, quasi stellae fulgebitis in perpetuas aeternitates (8).

Quotquot estis in sortem Domini vocati, quae olim maioribus natu Israel dixit fortissima Judith, haec vobis nunc repeto: Vos estis Presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum; ad eloquium ergo vestrum corda eorum erigite (9). Quod feliciter assequemini, si in verbis, in actionibus, in omni quacumque re palam omnibus facietis, Dominum esse partem haereditatis vestrae, vosque pro sordibus ac peripsemate ducere fastum, gloriam, fallaces mundi honores, et id propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini (10) nostri.

(1) 1. Tim. IV. 12.
(2) Ephes. IV. 12.
(3) Math. XX. 12.
(4) 2. Tim. IV. 2.
(5) 1. Tim. IV. 12.
(6) Matth. VII. 4.
(7) Act. I. 1.
(8) Dan. XII. 9.
(9) Iudit. VIII. 21.
(10) Philip. III. 8.

Adolescentes, Seminarii alumni, mihi dilectissimi, serio recogitate, vos, pueri Samuelis instar, in domum Domini convenisse, ut ad omnem pietatem doctrinamque informemini. Semper hinc memoria retinentes, quod in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis (1), fugite, quasi a facie colubri (2) quidquid animae vestrae candorem vel leviter maculare possit.

Nunc ad Vos venio, Venerandi Religiosi, qui Seraphici Patris vestri documenta secuti, maximo, tam Christianae, quam Civili Rei publicae adiumento semper fuistis et estis. Carissimi, si odorem notitiae Dei manifestare cupitis in omni loco (3), unum vos obtestor, ut maneatis nempe in vocatione, qua vocati estis (4), idipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes (5), et hoc fecisse sufficiet.

Nec vos pigeat, Auctoritates Judiciariae, ac Civiles, audire disciplinam Episcopi vestri Isaiae verbis vos admonentis: subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam (6); quoniam per huiusmodi semitam incedentes abundabunt incrementa frugum iustitiae vestrae (7), vosque hominibus placebitis et Deo.

Vos etiam Optimates, sive genere, sive opibus praecellentes, nunquam obliviscamini foenerari Domino, qui miseretur pauperis (8): estote hinc misericordes, sicut Pater vester misericors est (9): insuper eiusmodi sit vestra cum aliis conversatio, ut omnes videant opera vestra bona (10), ac vitam moresque suos ad iusti et honesti normam componere studeant.

Demum Vos omnes, qui super estis, Filii, cuiusque conditionis et ordinis, mutuam in vos charitatem exercete, et illam, quae Christianorum est, patientem, benignam, omnia sustinentem. Viri, diligete uxores vestras, et nolite amari esse ad illas (11): Mulieres, subiacete viris, sicut oportet in Domino (12): Filii, obedite parentibus per omnia (13): Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini (14): Servi, obedite dominis carnalibus, non quasi hominibus placentes, sed in simplicitate

(1) Sap. I. IV.
(2) Eccli. XXI. 2.
(3) 2. Cor. II. 14.
(4) Ephes. IV. 1.
(5) Rom. XII. 16.
(6) Isai. I. 17.
(7) 2. Cor. IX. 10.
(8) Prov. XIX. 17.
(9) Luc. VI. 36.
(10) Mat. V. 16.
(11) Colos. III. 19.
(12) Ibid. v. 18.
(13) Ibid. v. 20.
(14) Ephes. VI. 4.

cordis timentes Deum (1): Domini, quod iustum est et aequum servis praestate, scientes quod et vos Dominum habetis in coelo (2): Senes, estote pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia (3): Juvenes, sobrii (4): Omnes, sancti: Omnes, timentes Deum: Omnes, subditi potestatibus sublimioribus (5), non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam (6). Haec agite, his instate, et Dominus erit vobis in patrem, et vos eritis Ipsi in filios (7).

Beatissima interim Virgo in coelum assumpta, cuius titulo ac nomine Cathedralis nostra gloriatur, misericordes oculos suos ad nos convertat. Ipsa servet gregem, servet Ipsa pastorem; et si quid mali ex immerito pastore gregi instare praesentiat, suscipiat in manus suas pastorem, et benedictum Fructum ventris sui deprecetur, ut alium gregi deputet pastorem iuxta cor suum.

Idipsum implorent Divi, Nicolaus Myrensis, ac Philippus Nerius, Angeli, Sanctique omnes, sub quorum patrocinio Divina nos posuit Providentia.

Vos etiam, Dilectissimi, adite cum fiducia ad thronum gratiae, misericordiam efflagitantes in auxilio opportuno; ac primum orate pro Summo Hierarcha Gregorio Papa XVI. ut Dominus conservet Eum quam diutissime Ecclesiae suae bono, vivificet Eum, ac beatum Eum faciat in terra Viventium: deinde pro Serenissimo Rege nostro Ferdinando II, et Augustissima Eius Sponsa ac Regina nostra Maria Theresia, nec non pro tota Regali Familia, ut fausta omnia Ipsis eveniant, anni multi, pax, gloria, triumphus: tum pro Eminentissimo ac Reverendissimo Domino S. R. E. Cardinali Orioli, qui suarum manuum impositione, et sancti Chrismatis unctione, me, de Apostolico Mandato, Episcopum vestrum consecravit: tandem orate pro me ipso, dum omnes in visceribus Jesu Christi cupiens (8) et amplectens, pastoralem vobis largior benedictionem, Deumque obtestor, ut pax sua, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras (9). Amen.

Dabam Romae extra Portam Coelimontanam VII. Idus Martii An. Reparatae Salutis MDCCCXLV. ipsa Consecrationis meae die.

(1) Colos. III. 22.
(2) Ibid. IV. 1.
(3) Tit. II. 11.
(4) Ibid. v. 6.
(5) Rom. XIII. 1.
(6) Ibid. v. 5.
(7) I. Paralip. XVII. 1
(8) Philip. I. 8.
(9) Ibid. IV. 7.

IMPRIMATUR
Fr. Dom. Buttaoni Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Jos. Canali Archiep. Coloss. Vicesg.

